



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De inobedientia. Quæstio 105.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

*De inobedientia, in duos articulos diuisa.*

**D** E inde considerandum est, de inobedientia.

¶ Et circa hoc quærentur duo.

¶ Primo, vtrum sit peccatum mortale?

¶ Secundo, vtrum sit grauissimum peccatorum?

ARTIC. I.

*Vtrum inobedientia sit peccatum mortale?*

552

**A** D primum sic proceditur. Videtur, quod inobedientia non sit peccatum mortale. Omne enim peccatum est inobedientia, vt patet per diffinitionem Ambrosij \* superius positam. Si ergo inobedientia esset peccatum mortale, omne peccatū esset mortale.

sup. q. 69.  
art. 1. con.

q. prac. 2.  
2. arg. 1.

¶ 2 Præterea, Gregor. dicit trigesimo primo Moral. quod inobedientia oritur ex inani gloria. Sed inanis gloria non est peccatum mortale. Ergo nec inobedientia.

l. 31. c. 21  
a med.

¶ 3 Præterea, Tunc dicitur aliquis esse inobediens, quando superioris præceptum non implet. Sed superiores multotiens præcepta multiplicant, quæ vix aut nunquam omnia possunt obseruari. Si ergo inobedientia esset peccatum mortale, sequeretur quod homo non posset vitare mortale peccatum: quod est inconueniens. Non ergo inobedientia est peccatum mortale.

**S** ED contra est, quod ad Romanos primo, & secundæ ad Timoth. tertio, inter alia peccata mortalia computantur parentibus non obedientes.

**R**ESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est \*, peccatum mortale est quod contrariatur charitati, per quam est spiritualis vita. Charitate autem diligitur Deus & proximus. Exigit autem charitas Dei, vt eius mandatis obediatur, vt supra dictum est †. Et ideo inobedientem esse diuinis præceptis est peccatum mortale, quasi diuinæ dilectioni contrarium. In præceptis autem diuinis continetur, quod etiam superioribus obediatur. Et ideo etiam inobedientia, qua quis inobediens est præceptis superioribus

q. 24. ar.  
12. et 1. 2

q. 72. a. 5.  
et q. 88.

art. 1.  
q. 24. a. 12

periorum, est peccatum mortale, quasi diuinæ dilectioni contrarium: secundum illud ad Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Contrariatur insuper dilectioni proximi, in quantum superiori proximo subtrahit obedientiam quam ei debet.

1. de Pa-  
radiso. c.  
8 parum  
ante me.  
30.4.

Ad primum ergo dicendum, quod illa diffinitio Ambrosij ꝑ datur de peccato mortali quod habet perfectam peccati rationem. Peccatum autem veniale non est inobedientia: quia nõ est contra præceptum, sed præter præceptum. Nec etiam omne peccatum mortale est inobedientia, propriè & per se loquendo: sed solum tunc quando aliquis præceptum contemnit; quia ex fine morales actus speciem habent. Cum autem facit aliquid contra præceptum, non propter præcepti contemptum, sed propter aliquid aliud: est inobedientia materialiter tantum, sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati.

Ad secundum dicendum, quod inanis gloria appetit manifestationem alicuius excellentiæ. Et quia videtur ad quandam excellentiam pertinere, quod homo præceptis alterius non subdatur: inde est, quod inobedientia ex inani gloria oritur. Nihil autem prohibet ex peccato veniali oriri mortale: cum veniale sit dispositio ad mortale.

Ad tertium dicendum, quod nullus obligatur ad impossibile. Et ideo si totæ præcepta prælati aliquis ingerat seu iniungat, quod subditus ea implere non possit; excusatur à peccato. Et ideo prælati abstinere debent à multitudine præceptorum.

ARTIC. II.

553  
op. 64 c.  
11 Et He.  
2. lect 2.  
10. 2. me.  
9. 21 43

Vtrum inobedientia sit grauißimum peccatum?  
Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod inobedientia sit grauißimum peccatum. Dicitur enim 1. Reg. 15. Quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Sed idololatria est grauißimum peccatum, vt supra habitum est. Ergo inobedientia est grauißimum peccatum.  
¶ 2 Præterea, illud peccatum dicitur esse in Spiritum

ritum sanctum, per quod tolluntur impedimenta peccati, ut supra dictum est \*. Sed per inobedientiam contemnit homo præceptum, quod maximè retrahit hominem à peccando. Ergo inobedientia est peccatum in Spiritum sanctum, & ita est grauißimum peccatum.

¶ 3 Præterea, Apostolus dicit ad Romanos quinto, quòd per vnus inobedientiam peccatores multi constituti sunt. Sed causa videtur esse potior effectu. Ergo inobedientia videtur esse grauius peccatum, quàm alia quæ ex ea causantur.

SED contra est, quòd grauius est contemnere præcipientem quàm præceptum. Sed quædam peccata sunt contra ipsam personam præcipientis, sicut patet de blasphemia & homicidio. Ergo inobedientia non est grauißimum peccatum.

RESPONDEO dicendum, quòd non omnis inobedientia est æquale peccatum. Potest enim vna inobedientia esse grauior altera, dupliciter. Vno modo, ex parte præcipientis. Quamuis enim omnem curam homo apponere debeat ad hoc quòd cuilibet superiori obediat: tamen magis est debitum quòd homo obediat superiori, quàm inferiori potestati. Cuius signum est, quòd præceptum inferioris præmittitur, si sit præcepto superioris contrarium. Vnde consequens est, quòd quanto superior est ille qui præcipit, tanto ei inobedientem esse sit grauius: & sic inobedientem esse Deo, est grauius quàm inobedientem esse homini. Secundo, ex parte præceptorum. Non enim præcipientes æqualiter vult impleri omnia quæ mandat. Magis enim vnusquisque præcipientes vult finem, & id quod est fini propinquius. Et ideo tanto est inobedientia grauior, quanto præceptum quod quis præterit, magis est de intentione illius qui præcipit. Et in præceptis quidem Dei manifestum est, quòd quanto præceptum datur de meliori, tanto est eius inobedientia grauior: quia cum voluntas Dei per se feratur ad bonum, quanto aliquid est melius, tanto

Deus

Deus vult illud magis impleri. Vnde qui inobediens est præcepto de dilectione Dei, grauius peccat, quam qui inobediens est præcepto de dilectione proximi. Voluntas autem hominis non semper magis fertur in melius. Et ideo vbi obligamur ex solo hominis præcepto, non est grauius peccatum, ex eo quòd maius bonum præteritur, sed ex eo quòd præteritur illud quod est magis de intentione præcipientis.

\* *Fort.*  
oportet  
diuersos  
inobedi-  
entia gra-  
uis diuer-  
sorum præ-  
&c.

Sic ergo oportet secundum diuersos inobedientia gradus diuersis peccatorum gradibus comparare. Nam inobedientia, qua contemnitur Dei præceptum, ex ipsa ratione inobedientia, grauius est peccatum quam peccatum, quo peccatur in hominem, si fecerneretur inobedientia Dei. Et hoc ideo dico, quia qui contra proximum peccat, etiam contra Dei præceptum agit. Si tamen in aliquo potiori præceptum Dei contemneret, adhuc peccatum grauius esset. Inobedientia autem qua contemnitur præceptum hominis, leuior est peccato quo contemnitur ipse præcipiens: quia ex reuerentia præcipientis procedere debet reuerentia præcepti. Et similiter peccatum quod directè pertinet ad contemptum Dei, sicut blasphemia vel aliquid huiusmodi, grauius est etiam semota per intellectum inobedientia à peccato, quam esset illud peccatum, in quo contemnitur solum Dei præceptum.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa comparatio Samuelis non est æqualitatis, sed similitudinis: quia inobedientia redundat in contemptum Dei, sicut & idololatria, licet idololatria magis.

Ad secundum dicendum, quòd non omnis inobedientia est peccatum in Spiritum sanctum, sed solum illa cui obstinatio adhibetur. Non enim contemptus cuiuscumque quod peccatum impedit, constituit peccatum in Spiritum sanctum. Alioquin cuiuslibet boni contemptus esset peccatum in Spiritum sanctum: quia per quodlibet bonum potest homo impediri à peccato. Sed bonorum illorum con-  
tem-

temptus facit peccatum in Spiritum sanctum, quæ directè ducunt ad pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Ad tertium dicendum, quòd primum peccatum primi parentis, ex quo in omnes peccatum emanavit, non fuit inobediencia secundum quod est speciale peccatum; sed superbia, ex qua homo ad inobedientiam processit. Vnde Apostolus in verbis illis videtur accipere inobedientiam, secundum quod generaliter se habet ad omne peccatum.

QVÆST. CVI.

*De gratia siue gratitudine, in sex articulos diuisa.*

**D**einde considerandum est de gratia, siue gratitudine, & ingratitude.

¶ Circa gratiam autem queruntur sex.

¶ Primo, verum gratia sit specialis virtus ab alijs distincta?

¶ Secundo, quis teneatur ad maiores gratiarum actiones Deo, vtrum innocens vel pœnitens?

¶ Tertio, verum semper teneatur homo ad gratias pro beneficijs humanis reddendas?

¶ Quarto, vtrum retributio gratiarum sit differenda?

¶ Quinto, verum sic mensuranda secundum acceptum beneficium, vel secundum dantis affectum?

¶ Sexto, vtrum oporteat aliquid maius rependere?

ARTIC. I.

*Vtrum gratia sit specialis virtus ab alijs distincta?*

**A**d primum sic proceditur. Videtur, quòd gratia non sit virtus specialis ab alijs distincta. Maxima enim beneficia à Deo & à parentibus accepimus. Sed honor, quem Deo retribuimus, pertinet ad virtutem religionis. Honor autem, quem retribuimus parentibus, pertinet ad virtutem pietatis. Ergo gratia siue gratitudo non est virtus ab alijs distincta.

¶ 2 Præterea, Retributio proportionalis pertinet ad

554  
inf q 107  
ar. 1. 07.  
C 12 q.  
6. a. 3. 60.